

NUMMUS

ANNÆ MOMORANTII, MILITIÆ

Gallicæ Præfecti, imaginem Symbolumque referens; cusus post devictos à se Aquitanos, & Burdegalenses: Anno Christi 1548.



ANNA Momorantius ex illustri & per antiqua Momorantiorum familiâ progenitus, fidam adeò fidemque Francisco Galliarum Regi operam navavit: ut proximo à Rege, Conestabilia us honore dignitateque eum ornarit. Sub finem tamen (*ut sunt rerum humanarum vices*) fastidio quodam animi benevolentia regiâ excidit: cum argueretur, quod Carolum Imperat: ab Hispania usque per mediam Franciam, tutum ad Belgas traduxisset. Curia se odiosum cum videret, privatam degens vitam sexennio toto latuit: usque dum, Francisco è vivis sublato, regni summa ad Henricum II. devolveretur: qui postliminio quasi revocatum nō modò dignitati pristina restituit: verum etiam majori honore atque benevolentia, quam fecisset pater, fuit prosecutus. Apparuit insigniter, quæ eius prudentia, animi celsitudo, inque rebus agendis dexteritas fuerit, cum Anno 1548. Aquitaniam universam, maximè apud Burdegalam, propter vestigal auctum Salinarium, orta seditio esset: ubi non solum civitatis status à concitata multitudine immutatus: sed etiam Trifaninus Manius, Regis in eâ provincia Vicarius, seditiosorum quorundam manibus sublatus è medio fuit. Ad sopiendos eos motus Rex statuit sibi cito ex Italia esse ad fines properandum: antè tamen Regis adventum sedati fuerunt Anna huius Momorantii regali operâ: qui duobus equitum, & octo peditum millibus, repente finitimis è locis collectis, eò convolavit: inque ipso propè articulo temporis surgentia,